



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XXVIII. Qua via & methodo omnium virtutum, quarum nos in hac vita capaces sumus, itémque vitiorum genera facilè comprehendi: qua item via bene, beatè, sanctéque viuendi præcepta tradi possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

tio quàm tolerantia. Id quod Bernardi verbis quàm meis intelligi malo. Sic igitur ille, *Si virtutem appetis humilitatis, viam ne refuge humiliatōnis. Siquidem humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem: lectio ad scientiam. Nam si non potes humiliari, non potes ad humilitatem progredi.* Ergo ex iis præparationibus progredimur ad actus, qui iterati aptiores nos in eo actionis genere efficiunt. Et hæc quidem de eo virtutis & vitij (virtutem enim & vitium hîc generaliter appellamus) gradu, qui lucta, id est, continentia siue incontinentia nominatur, hæc tenus sint dicta.



CAP. XXIII.

Qua via & methodo omnium virtutum, quarum nos in hac vita capaces sumus, itémque vitiorum genera facillè comprehendis: qua item via bene, beatè, sanctèque viuendi præcepta tradi possint.

RESTAT autem, vt qua via præcepta virtutum istarum, quarum in hac vita capax est animus ac volûtas humana, cōmodissimè tradi possint, explicemus. Præcepta autem illa non tantum fines ipsos actionum: sed etiam viam & normam bene rectèq; viuendi, id est, singulas actiones nostras administrandi, in quoque rerum genere præscribere debent. Hæc autem ratio varia & multiplex perspicitur. Alij enim (quemadmodum

Philosophi) vniuersa hæc præcepta ad certarum virtutum classes & genera reuocarunt : atq; ad artem quandam, quæ omnia illa complecteretur, & *id est* nominarunt. Alij (quemadmodum Scholastici) vestigijs Philosophorum insistentes, diuersa tamen ab illis præcepta multis in rebus tradiderunt. Quum autem nulla vel certior, vel verior, quam Dei vox (que conscientia nostra optima gubernatrix est) iustitiæ omnisque virtutis regula ne fingi quidem possit, longè melius tutiusque faciunt, qui nos in eam tanquam limpidissimum virtutum omnium speculum intruere iubent, & quæcunque de virtutibus humanis sciri possunt, ad Legis diuinæ (quæ ipsissima omnis iustitiæ & sanctitatis norma est) præcepta reducunt. Imò, qui ipsum cælestis & Mosaicæ Legis Decalogum, qui vocatur, pro vniuersa *id est* Philosophiæ præceptione substituunt. Id quod Ambrosius nobiscum sentit. Itaque in eo interpretando duntaxat immorantur & consistunt, & ex eo omnes virtutis & vitij leges velut ex verissimo & limpidissimo fonte hauriunt. Id quod nos (Domino dante) sumus sequi libro facturi. Vt autè commodius atque planius, omnium quæ hæctenus à nobis sunt ordine demonstrata, summa quædam haberetur: atque, vt quantum Philosophi à Sententiariis: Sententiarij etiam ipsi à veris Theologis discefferint, intelligatur, visum est compendio quodam hæc quæ sequuntur, subiicere, & quæ pluribus antea diximus, hîc tanquam in breui quadam tabula, & schemate videnda proponere. Ethicem igitur, eamque Christianam quærimus. Est autem in vniuersum

versum Ethice scientia præceptioq; de hominis moribus rectè honestèque instituendis.

Ethice vero illa triplex est, { Philosophica,
Scholastica,
Christiana.

nimirum Ac primum de philosophica. Virtus moralis Philosophis est ipsius appetitus finis, & perfectio, & mediocritas quædam inter duo extrema vitiosa consistens. Denique medium quoddam per quod ad summam fœlicitatem, summumq; bonum assequendum peruenimus.

Philosophi materiam virtutis constituunt illum actum, atque illud obiectum circa quod queque virtus versatur: ex quo ipso virtutes maxime inter se distingui volunt: ac commodius etiã quàm ex forma, quam omnium virtutum communem constituunt, nempe Mediocritatè. Formam igitur virtutis illi definiunt esse illam mediocritatem & regulam, quam prudentia in agendo sequendam esse præscribit.

Efficientem virtutis causam ponunt, tum

{ Dictamen rationis rectæ, quod est in intellectu.

{ Obsequium voluntatis nostræ parentis illi rationi rectè monenti.

Finem virtutis definiunt

{ Proprium quidem, regere & perficere illam animi nostri & affectus partem, quã ordinat, & in qua versatur.
Remotioem, nos ista via deducere ad summum bonum.


Inchoatam, & cui summa adhuc perfectio ratioque virtutis deest. } Continētia, Egregia, dicitur.

Itaque virtutem triplicem constituunt, } Perfectam, siue totam. Hęc proprie Απει & ἔξτε dicitur, vbi omnino voluntas, & sine relictatione, recte rationi paret, & subiicitur.

Heroicam, quę supra communem aliorum hominum captum, & modum opus suum, id est, singulariter egregium aliquid præstat. Itaque qui tales sunt, supra humanę ipsius naturę conditionem excellentes in eo virtutis genere videntur. Esse autem potest Heroica virtus in omni virtutis genere, maximè tamen in fortitudine apparet.

Diuisio

Diuisio virtutum, quae fit à Philosophis
 Diuidunt autem illi virtutes ex obiecto, in quo regendo versantur. Nam



- I
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- Et

Et quia nullum alium virtutis finem spectant, quàm ipsum potentia animi actum bene moderatum, & recta rationi subiectum: non Deum ipsum, aut eius gloriam, non proximum, eiusve commoditatem, & subventionem ipsam in definiendis distribuendisque virtutibus maximè attendunt. Vnde non spectant ea, quibus vel Deus offenditur, vel proximus violatur: sed ea tantum, ex quibus splendor quidam externus, & laus popularis in agendo comparari, & aestimari inter homines non omnino depravatos & dissolutos moribus solet. Adèd vt tota eorum oratio de moribus hominum rectè informandis, ad laudum hominum captandam nō omnino malorum sit accommodata. Atque inde sua de virtutibus præcepta ducunt & hauriunt, non agnoscentes quantæ tenebræ in humana mēte, id est, in rationis nostræ luce, & voluntatis nostræ appetitu per peccatum versentur sintque effusæ: neque quàm iam exigua sit nostra in bonis & malis rebus diiudicandis ratio.

Sed quum iidem animaduertent pugnam rationis cum voluntate, nec tamen eius causam intelligerent, nec originem, senserunt definiruntque illam tolli assidua bene agendi consuetudine, adèd vt repetitas illas actiones diceret, tandem in nobis gignere ^{esse} bene agendi: & omnino subiectum rectæ rationi, parentemque appetitum hac via posse comparari. Hominem autem ipsum honestarum actionum authorem, non autem Deum constituunt.

Ethice Scholastica.

Schola-

Scholastica nihilo melior Philosophis ethnici-
cis fuit. Nam & ipsa vult, vt apertè Durandus li-
bro 1. Sent. Distinct. 47. quæst. 2. N. 9. docet, ni-
hil esse necesse, nec oportere bonam voluntatē
aut virtutē conformari volūtati Dei ex fine, vel
quantum ad finē, propter quem virtus agit. Per
virtutem enim moralem non ordinari opus no-
strū ad gloriam Dei ex intentione operātis, sed
ad perfectionem tantūm potentia naturalis &
appetitiua. Ergo catenus tantūm virtus moralis
gloriā Dei spectat, & ad eā opus suum dirigit at-
que ex eorum sentētia ordinat, quatenus nō tan-
tūm bene agere, sed etiā mereri vult. esse enim
opus bonū posse putant, cuius finis non sit Dei
gloria. At contrā Paulus 1. Corinth. 10. vers. 31. &
Prouerb. 16. & ipse Durand. in Summ. Distinct.
27. lib. 2. Sententiarum. Itaq; illis (quid enim sen-
tiant, tantūm explicamus, quos abundē supra re-
ferauimus) illis, inquam, virtus est regula deter-
minans intellectum, vel appetitum nostrum ad
bene agendum. Siue virtus est habitus perficiēs
potentiam ad medio modo appetendum. Du-
rand. lib. 2. Dist. 27. quæst. 1. N. 7. Vnde non om-
nis virtus in medio consistit, vt iidem scribūt.

Nam virtutem triplicē faciunt, nempe

- Theologicam, quæ Deum habet pro obiecto,
- Moralem, quæ perficit potentiam naturalem,
- Heroicam, quæ idem & subiectum & obiectum habet, quod

moralis virtus, excellentiore tamen modo, & supra communes hominum aliorum vires operatur illud ipsum, quod virtutes morales pro cōmuni hominum captu præstant. Virtutes autem morales breuius Scholastici complecti voluerunt, quàm Philosophi, easque alio ordine tradere, diuina scilicet & prophana simul miscentes, & vtraque in vnum colligere. i. cælum terræ iungere conati.

Itaque ex subiecto virtutes morales diuidunt. Earum enim subiectum est appetitus.

Is autem est vel } Rationalis. Iustitia hunc perficit,
 } Concupiscibilis. Temperantia.
 } Irascibilis. Fortitudo.

Sed & alio modo diuidunt: sic,

Virtus	} Ordinē ad aliud, nempe circa	} Considerationē rationis, & ipsius ordinis præscribendi : Prudentia appellatur.	} Actiones ad alterum, Iustitia dicitur.	} Impellunt ad malum, Temperantia.

Quas tres virtutes Cardinales appellant: alias Subiectiuas, quæ his subseruiunt. Has autem omnes regit & ordinat, vt aiunt, prudētia. Est. n. illa recta ratio agibiliū, vt aiunt. i. rerū agendarū. Sic Durandus in lib.3. Sententiarum, Distinct. 33. quæst. 5. N.6. sic omnes, qui ista ordine tradunt.

dunt. Nec ignoro tamen quosdam tres tantum præcipuas virtutes constituere: quosdam etiam plures quam istas.

Diuina Ethice & Christiana.

Christiana verò Ethica aliud omnino statuit tum in principiis rerum actionumque nostrarum, tum in præceptis de virtutibus tradendis. Principiū enim actionum nostrarum honestarum est (quemadmodum supra docuimus) ipse Dei Spiritus nos regenerans, & voluntatem nostram è prorsus mala bonam, benèque affectam efficiens & commutans. Itaque commutati iam bene velle incipimus, & bene consultare. Itaque sit hoc modo etiam homo ipse suarum actionum principium. Nam ante innouationem nostram ipsi per nos non magis bene vel velle vel agere possumus, quam volare. Sed vbi Dei Spiritus sese cordibus & affectibus nostris infinuauit, eosque dirigit, & inflectit, tum incipimus bene velle, & agere: quāquam & hæ actiones nostræ honestæ sunt semper infinitis modis imperfectæ. Itaque quæ in nobis virtutes esse dicuntur, eæ non sunt *εἴδεις*, sed tantum *ἐν πρᾶξει*, id est, non plenè perfectæque voluntatis nostræ Dei mandato, & rectæ rationi subiectæ. Sed Scriptura considerat in nobis id quod res est, paulatim nos & gradibus quibusdam crescere, & dum virtutes habemus, luctari, & progredi. Itaque hos singulos progressus ad meliorem frugem vocat honesto illo Virtutum nomine, ad quas nos exhortatur. Tamen inter istos progressus & gradus, ita alij aliis subordinantur, ut gradus illi, quibus in eadem scala conscendimus ad

superiorem semper locum. Ex quo fit vt sæpe in Scriptura plures virtutes ad vnam & eandem, quæ superiorem illum, & meliorem gradum cõtinet, referantur. Nec ita scrupulosa est in vitiis & virtutibus distinguendis Scriptura, vt non sæpe eandem virtutem, idẽmque vitium variis nominibus appellet, pro diuerso nimirum effectu, & affectu animi, qui sentitur à nobis, vel à nobis exterius producitur. Philosophi verò & Scholastici in his appellandis & distinguendis fuerunt longè religiosiores, quòd omnia ad certam suamque illam artem, captum, & ad certum definitumque numerum reuocare voluerunt, vt facerent harum rerum & omnium animi affectuum (qui tamen sunt infiniti) certam quandam scientiam certis virtutum & vitiorum appellationibus, certoque numero comprehensam: in qua nihil eos effugisse videretur. Quod tamẽ est prorsus à *Σύνατον*. Sunt enim cordis humani infiniti motus, recessus & affectus, qui certo numero omnes colligi non magis possunt, quàm arena maris: sed si illi à Spiritu Dei regantur, sunt honesti, & virtutes: sin carnis nostrę sefufu ducantur, vitiosi: & vitia siue peccata dicuntur. Quædam tamen tum virtutum, tum vitiorum genera suis diuersis que nominibus enumerat Scriptura sacra, nimirum ea quæ sunt & potiora & notiora, & certis vocibus à vulgo designata, vt ex his aliquot de cæteris iudicemus, & quid à Deo sit petendum, intelligamus. Ex quo fit vt aliam vitæ nostræ sanctè instituendæ omnino rationem ineat Scriptura, quàm & Philosophi, & Scholastici. Quid igitur illa? Nimirum
- quum

quum omnia vitæ nostræ officia

Deum spectent,
 vel { Homines (qui omnes
 Proximi appellantur)

ostendit Scriptura quid à nobis
 & Dei & hominum, id est, proximorum ratio-
 ne flagitetur. Et quum illa omnia officia sigilla-
 tim peruiderit Deus, qui hanc Scripturam dedit,
 qui omnium cordis nostri affectuum scrutator
 est, qui denique est rerum omnium scientiss. v-
 traque illa totius vitæ nostræ officia ad certa ca-
 pita reuocauit, quæ & verbo ipsius, & propria
 consciëntiæ testimonio à nobis deberi didicimus
 & fatemur. Non spectat igitur Sacra Scriptura
 virtutes quatenus meræ & nudæ sunt regulæ,
 velut quies & tranquillitas mentis nostræ, vel
 potentiarum animi nostri *ἐν ἐπιπέδῳ* in nobis ipsis
 constituti & moderati: sed quatenus Deo vel
 proximo reddunt, quod vtrique debent. Ex
 quo fit, vt ipsarum virtutum finis sit generalis
 quidem Dei gloria: Proximus autem, vel Deus,
 vel proximus. Cæterum ad ea quæ Dominus
 tum sibi, tum proximo nostro fieri iubet, præ-
 standa subseruiunt & comparatæ sunt omnes
 illæ & Cardinales, & Subiectiuæ virtutes, de
 quibus latè Scholastici: item omnes illæ vel af-
 fectus animi nostri, vel actiones corporis no-
 stri moderantes, virtutes, de quibus copiose
 Philosophi: ne vel imprudenti quodam zelo à
 vero qui in iis seruari debet, modo aberremus:
 vel ne voluptate illecti, vel dolore perterriti
 officium deseramus: vel ne avaritia quadam
 nostrique nimia cura (quod est iniustitiæ) im-

pulsi plus nobis, quàm oportet, vsurpemus, nobisque tribuamus, & officiũ deseramus. Itaque & Prudentia, & Temperantia, & Fortitudo, & Iustitia iis Dei præceptis, uti ancillæ quædam, & animorum nostrorum *diabolois* abundè subseruiunt, suntque necessariò adhibendæ. Has autem virtutes omnes Paulus Tit. 2. versu 12. ad tres reducit, Pietatem, Iustitiam, & Temperantiam. Idem alibi, veluti Ephes. 4. vers. 24. 1. Thesalon. 4. versu 3. 2. versu 23. ad sanctimoniam & iustitiam. Ephesiorum autem 6. versu 14. *παρηγορίαν* hominis Christiani vocat. Falsissimum verò illud est, Solius tantùm illius virtutis, quæ à Philosophis dicitur Iustitia, præcepta Legem Dei morali tradi & contineri, quum omnia per Legem Dei vetentur vitia, quæ horum præceptorum præstationem & exequutionem, vel animorum nostrorum alacritatem impediunt: omnes autem virtutes præcipiantur, per quas ad ea quæ facere debemus, paratiores, promptiores & constantiores & sumus & firmus. Itaque in quoque præcepto Legis diuinæ quatuor illæ superiores virtutes, imò omnes requiruntur & continentur ex mente Legis, ne imprudentia, vel avaritia, vel metu, vel voluptate, vel afflictione aliqua ab officio nostro abducamur. Longè verò optimè Scriptura summam omnium præceptorum charitatem esse dicit, quòd ea & qualis animus noster esse debeat in iis præceptis exequendis, & quanta moderatio obseruanda sit, in circumstantiis omnibus prudenter perpendendis ac diiudicandis, intus monet & docet. Vtrumque enim vna illa & verè princeps

Charitas,

Charitas, ostendit. Humanum verò iudiciū Scriptura nūquam constituit legitimam honestarū nostrarum actionum regulam. Sed Dei ipsius Legem & verbum, veram virtutum ad suam definitionem & naturam reuocandarum & instituendarum normam facit. Ergo illa cælestis Lex sola est vera vitæ nostræ rectè sanctèque instituendæ regula, ex qua sunt explicandæ virtutes omnes. Quamobrem ita demum perfectè Ethice Christiana traditur, quum decem diuinæ Legis præcepta exponuntur, in quibus fines nostrarum omnium actionum & vitæ ostenduntur. Omnes enim humanæ mentis anfractus, omnes cordis nostri affectus perquirere velle, & certis nominibus notare, est omnino infinitum, & qui hoc conati sunt, multa genera eorum prætermiserunt.

Ex illis autem præceptis, quæ sunt in secunda diuinæ Legis tabula (vt hæc disputatio ad Philosophos accommodetur)

Primum, quod est quintum ordine, videtur pertinere ad Iustitiam Distributiua, & ad Modestiam.

Secundum, quod est sextum, ad Fortitudinem. Prudentia vbique necessaria est.

Tertium, quod est septimum, ad Temperantiam.

Quartum, quod est octauum, ad Iustitiam commutatiuam, versantem in negotiis hominum.

Quintum, quod est nonum, ad Iustitiam versantem in sermone humano, & æquantem ver-

ba rebus.

Sextum, quod est decimum, quiddam plus, quàm leges humanæ omnes & virtutes continet.

Ius autem Ciuile in omnibus præceptis explicandis vsum suum habet: quia Lex diuina est illius & vitæ humanæ explicatio.



ETHI